



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

13. Cum ad, &c. Pro Cardinali Ebotacensi, Bulla de potestatibus, super  
lectione Librorum Martini Lutheri: anno 1521.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

Et deinde Bathoniensi & Wellensi Ecclesiis, invicem unitis, ex eo, quod Nos Adrianum de Corneto, tunc tituli Sancti Chrysogoni Presbyterum Cardinalem, qui dictis Ecclesiis praeerat, propter hoc ad nostram praesentiam legitime evocatum, suis culpis & demeritis exigentibus, Cardinalatus honore ac titulo, & praedictis ac quibusvis aliis Ecclesiis, & Beneficiis Ecclesiasticis per nostram definitivam sententiam privavimus, per privationem huiusmodi apud Sedem eandem Pastoris solatio destitutus.

Nos cupientes tam eisdem unitis Ecclesiis, de quarum provisione nullus praeter nos hac vice se intrinmittere potuit, sive potest, Reservatione & Decreto obstitentibus supradictis, de Gubernatore utili & idoneo, per quem circumspicere regi, & salubriter dirigi valeant, quam tibi, ut statum tuum juxta Cardinalatus exigentiam dignitatis decentem tenere valeas, de alicujus subventionis auxilio providere, ac sperantes, quod tu per datam tibi à Domino providentiam, ac alia multiplicium virtutum dona, quibus circumfultus existis, Ecclesias ipsas unitas scies & poteris, auctore Domino, salubriter regere, & feliciter gubernare, Ecclesias ipsas unitas tibi per te, quoad vixeris, etiam una cum Sanctae Ceciliae de Urbe, quae Titulus tui Cardinalatus existit, ac Eboracensi, cui praesse dinosceris, aliisque Ecclesiis, Monasteriis & Beneficiis Ecclesiasticis, quae in titulum, vel commendam, aut alias obtines, & imposterum obtinebis, ac pensionibus annuis, quas percipis & percipies in futurum, tenendas, regendas & gubernandas, de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, tenore praesentium commendamus; curam & administrationem dictarum unitarum Ecclesiarum tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, firmam spe, fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos, Ecclesiae ipsae unitae, per tuae Circumspectionis industriam, & studium fructuosum regentur utiliter, & prosperè dirigentur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiant incrementa.

Volumus autem, quod debitum & consuetis Mensarum Episcopatum Bathoniensis & Wellensis, supportatis oneribus, de residuis illarum fructibus, redditibus & proventibus disponere & ordinare liberè & licitè valeas, sicuti Episcopi Bathonienses & Wellenses, qui pro tempore fuerunt, de illis disponere & ordinare poterunt, seu etiam debuerunt. Alienatione tamen quoruncunque bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium ipsarum Mensarum tibi penitus interdicta.

Quocirca Circumspectioni tuae per Apostolica Scripta mandamus, quatenus curam & administrationem praedictas sic sollicitè geras, & fideliter profequaris, quod ipsae Bathoniensis & Wellensis unitae Ecclesiae Gubernatori provide & fructuoso Administratori gaudeant se commissas; tuque praeter aeternae retributionis praemium, nostram & dictae Sedis Benedictionem & Gratiam exinde uberius consequi merearis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo decimo octavo, tertio Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

Evangelista.  
Vifa,  
Aloysius pro N.

Pro Cardinali Eboracensi, Bulla de potestatibus, super lectione Librorum Martini Lutheri: anno 1521.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomae, tituli S. Ceciliae Presbytero Cardinali Eboracensi, in Regno Angliae nostro, & Apostolicae Sedis Legato, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Cum ad nihil aliud magis nostra aspiret intentio, quam ut Christi fidelium animas nostram diligentiam Deo lucrifacere possimus, libenter circa hoc operam vigilem adhibemus, ut diabolica fraude decepti ad Caulam Dominicarum Ovium revertantur, & si qui animorum perveritate ducti, in eorum damnato proposito perseverare maluerint, taliter animadvertatur in illos, ut sit eorum poena caeteris in exemplum.

Sanè cum aliàs quidam falsi Fidei cultores quamplures, & varios Errores jamdiu per Concilia, & Praedecessorum nostrorum Constitutiones damnatos, utpotè Haeresim etiam Graecorum & Bohemorum continentes, noviter suscitassent, & in inclyta Natione Germanica seminassent, nos, errorum huiusmodi virus pestiferum ulterius tolerare, seu dissimulare absque Orthodoxae Fidei injuria non valentes; ac huiusmodi pesti, morboque canceroso, ne in grege dominico latius serperet, viam pracludere cupientes, errores ipsos, ut haereticos & Veritati Catholicae contrarios, de Fratrum nostrorum consilio & assensu damnavimus & reprobovimus, ac omnibus utriusque sexus Christi fidelibus tam Laicis, quam Clericis, Saecularibus & Regularibus, per universum Orbem, praesertim in Alemania ipsa existentibus, sub Excommunicationis latae sententiae, & aliis poenis, tunc expressis, eo ipso incurrendis, praecipimus & mandavimus, ne praefatos errores, aut eorum aliquos defendere, aut quovis quaesito colore affirmare praesumerent.

Et quia dicti errores, & plures alii in diversis libellis per Martinum Lutherum Haeresiarum compositis, continebantur, libellos ipsos, in quocunque idiomate reperiebantur, damnavimus, ac eisdem Christi fidelibus mandavimus, ne libellos huiusmodi, errores ipsos continentes, legere, imprimere, publicare seu defendere, aut in domibus suis, sive aliis publicis vel privatis locis tenere quoquomodo praesumerent, quinimò illos, statim post litterarum nostrarum super his editarum publicationem, ubicunque forent, per Ordinarios, & alios in dictis litteris expressos, diligenter quaesitos, publice & solemniter, in praesentia Cleri & populi, sub poenis in eisdem litteris expressis comburerent, ipsique Martino, ut ab omni praedicatione desisteret, iussimus; alioquin eum, ejusque adhaerentes, complices, fautores & receptatores requisivimus & monuimus, & sub dictis poenis districtè praecipiendo eis mandavimus, ut infra certos dies à praefatis erroribus, eorumque praedicatione & publicatione, ac defensione omnino desisterent, librosque, errores huiusmodi continentes, comburerent, seu comburi facerent, ipsique Martino, ut errores ipsos omnino revocaret, ac de revocatione ejusmodi per publica documenta nos certiores faceret, & cum pleno salvoconductu sibi concessio ad nos veniret, ut vera ejus obedientia omnibus cum pleno constaret; alioquin eum, ejusque adhaerentes, & fautores tanquam notorios, & pertinaces haereticos fuisse & esse declaravimus, eosque ut tales condemnavimus, & pro talibus ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus haberi volumus, atque mandamus.

Inhibuimus quoque sub eisdem poenis eisdem Christi fidelibus, ne ejus scripta, etiam praefatos errores non continentia, tanquam ab homine orthodoxae Fidei inimico edita, legere, praedicare, imprimere, seu defendere, aut in domibus, vel aliis locis publicis, vel praefatis tenere, quoquomodo praesumerent, sed illa comburerent, ipsosque Christi-fideles sub dictis poenis monuimus, ut ipsos haereticos, declaratos & condemnatos, Mandatis nostris non obtemperantes, post casum dicti termini evitarent, ac evitari facerent, quantum in eis esset, nec cum eis commercium, aut aliquam conversationem, seu communicationem haberent, nec eis necessaria ministrarent.

Et pro majore Martini, ejusque complicitum & fautorum, post lapsum termini declaratorum haereticorum huiusmodi confusione, eisdem Christi fide-

libus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatibus, necnon Ecclesiarum Capitulis, ac Personis Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus, exemptis & non exemptis, ac universis Principibus, Regibus & Imperatorum Electoribus, ac aliis tunc expressis per universum orbem, præsertim in eadem Alemania constitutis, mandavimus, ut ipsi, & eorum quilibet Martinum, complices & fautores hujusmodi personaliter caperent, & captos ad nostram instantiam detinerent, vel saltem eos & eorum quemlibet à suis Ecclesiis, Domibus, Monasteriis, Conventibus, Civitatibus, Dominiis, Castris & Terris omnino expellerent, & loca quæcunque, ad quæ Martinum ipsum, vel aliquem ex prædictis declinare contingeret, quamdiu ibidem permaneret, & triduo post eorum inde Decessum, Ecclesiastico subjecimus interdicto per quasdam, & deinde, per nos accepta, quod licet in nonnullis Civitatibus & locis dictæ Alemanniæ libri & scripta dicti Martini, juxta Mandata nostra cremati fuissent, tamen ipse Martinus in reprobum sensum datus, non solum errores suos intra præfixum terminum revocare, & de revocatione hujusmodi nos certiores facere, seu ad nos venire contemperat, sed etiam tanquam Petra scandali, pejora pejoribus contra hanc Sanctam Sedem & Fidem Catholicam scribere, prædicare, & alios ad hoc inducere, ac libros errores prædictos continentes imprimi, & ad diversa Regna, ut alios suo veneno inficeret, & ad gehennam traheret, deferri facere non fuerat veritus, per reliquas nostras litteras Martinum ipsum, & alios qui eum etiam præsidio militari defendere, custodire, & propriis facultatibus, vel aliis quomodolibet sustentare non verebantur, ac auxilium, consilium, vel favorem ei præstare præsumebant, quorum omnium nomina haberi volumus pro expressis, ac si nominatim exprimerentur, excommunicationis, ac anathematis, necnon maledictionis æternæ, & interdicti, ac in eos & eorum descendentes Dignitatum, Honorum & Bonorum privationis & inhabilitatis ad illa, ac alias sententias, censuras & pœnas, etiam in Hæreticos à Sacris Canonibus inflictas, damnabiliter incidisse declaravimus, prout in singulis literis prædictis plenius continetur.

Quum autem libri dicti Martini impressi ad Regnum & Dominia charissimi in Christo Filii nostri Henrici Angliæ Regis illustris, ut accepimus, delati fuerint, nobisque persuadeamus, quod tam Rex ipse, quam Circumspectio tua, quæ in isto Regno Legationis Officio fungitur, dictos libros juxta Mandata nostra comburi facere debeat, prohibuerimusque, ne libri ipsi, errores hujusmodi continentes, à quoquam legerentur, & propterea nonnulli, stimulo conscientiae ducti, à librorum hujusmodi lectione abstineant, dubitantes Mandatis nostris contravenire, seu censuras in nostris literis contentas hujusmodi incurrere, mentisque nostræ non fuerit prohibere lectionem dictorum librorum illis, qui eos pia mente legerent, ut errores in illis contentos reprobare & confutare possent, ea propter attestamus, & declaramus, mentis nostræ fuisse & esse, quod omnibus, libros ipsos legere, & ad Laudem Dei, ac Catholicæ Fidei honorem, errores in libris ipsis contentos, reprobare & confutare volentibus, illos legere liceat. Circumspectionique tuæ, ut illis, qui dictos libros ad istud Regnum delatos, ad hoc ut errores in eis contentos, pro nostro & hujus Sanctæ Sedis honore, ac Fidei Catholicæ conservatione, confutare valeant, legere voluerint, eis legendi licentiam concedere, ac libros ipsos, qui ad istud Regnum delati fuerint, juxta Mandata nostra, cremari facere, ac omnibus (exceptis illis, qui pro illorum confutatione eos tenere voluerint) ut illos cremari faciant, mandare auctoritate nostra procures, ac illos, qui præmissorum occasione in hæresim, errores dicti Martini sequendo, prolapsi fuissent, ac ejus fautores, qui ad istud Regnum applicuissent,

si errores suos sponte confitendo hæresim abjurare, & ad veram Fidem Catholicam reverti voluerint, aut si libros prædictos, aliâ, quam dicta intentione legendo, censuras ipsas incurrerint, si hoc humiliter petierint, eos ab hujusmodi, & aliis eorum excessibus, etiam Hæresim sapientibus, præfinito tamen per eos corporali juramento, quod similia de cætero non committent, nec ea committentibus præstarent auxilium, consilium vel favorem, necnon ab aliis eorum peccatis quibuscunque, auctoritate nostra semel duntaxat pro quolibet eorum, injuncta etiam eis pro modo culpæ poenitentia salutaris, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, absolventi, nec non eos ad famam, & honores pristinos, abolitâ quavis infamiæ notâ restituendi; contra illos verò; qui in tales errores lapsi fuerint, aut etiam quomodolibet involuti existant, auctoritate nostra, prout juris fuerit, procedendi & puniendi, nec non omnia & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi & exequendi, plenam & liberam auctoritate & tenore præmissis concedimus facultatem.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ottonis & Ortoboni, olim in dicto Regno Angliæ dictæ Sedis Legatorum, ac in provincialibus & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Pali Portuensi Diocese, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo primo, quinto decimo Kal. Maji, Pontificatus nostri anno nono.

Gratias agit Pontifex Henrico Angliæ Regi, pro Libro contra Lutherum scripto: anno 1521.

*Charissime in Christo Fili noster, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**H**is præteritis diebus, cum tuæ Serenitatis Orator, dilectus Filius Johannes Clerke, Capellæ Regiæ Decanus, in Consistorio nostro palam librum eum nobis obtulisset, quem Serenitas tua contra impiam Martini Lutheri & mentem, & sectam edidit, atque ipse luculentâ, maximeque temporis & loco accommodatâ Oratione, præsentibus etiam pluribus Romanæ Curie Prælatibus, promptum animum tuum ad nos, Sanctamque Sedem hanc armis pariter, & litteris juvandam exposuisset, summa animæ lætitiâ fuimus affecti; neque nos folum, sed omnes Venerabiles Fratres nostri, quasi reputantes non sine permissu divino erupisse adversus Christi Ecclesiam Lutheranam hanc impietatem, ut ipsa majore sua cum gloria talem propugnatores ac Defensores fortiri possit.

Visum itaque fuit cunctis, nobisque ita decernentibus ab omnibus est assensum, singularem hanc tuam & virtutem & pietatem aliquo, & amoris nostri, & grati animi monumento esse illustrandam.

Etenim Charissime Fili noster, quia arma sumere, ut Sanctæ Sedis Apostolicæ Status in sua Libertate & Tranquillitate permaneret tutus, magnis sæpe Principibus honori summo fuit, quanto magis arma Spiritus Dei, Cœlestisque Scientiæ capere, ut à Fide Christi tanta labes depellatur, Sacramentaque ea, quibus animarum salus inviolata serventur, & laudem asserere debet, & celebritatem.

Quamquam hæc duo, quæ duximus antea semper divisa, in te uno maximo Rege præstantissimo fuerunt conjuncta; idem enim tu, & Libertatem Ecclesiasticam tuis armis vindicasti, & tu idem Fidem Christianam Theauris tuæ & Pietatis & Scientiæ adversus impias hæreses munitam esse voluisti, quorum alterum invictæ & excessæ animi fortitudinis, alterum piæ & Sanctæ, & veræ mentis

XIV.  
Rymer, p.  
758. Tom.  
13.